DE STERILITATE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN ANTIQUISSIMA...

Emmanuel Mandel



16

DE

STERILITATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

C. R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

CONSEQUENDOS

PUBLICE PROPONIT

EMMAN. MANDEL

MORAVUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIII.



Irrita conjugii sterilis si munera languent,
Et sobolis spes est multos jam vana per annos,
Femineo fiat vitio res nec ne sileba·
Haec poterit quartus magni monstrare Lucreti.
Sed natura tamen medicamine victa potenti
Saepe dedit fetus studio curante paratos.

Q. Sereni Sammonici
De Medicina praecepta.

BENEFACTORI · AESTIMATISSIMO

DOMINO

ANGELO · LEVI

BONONIENSI

HOC

AETERNAE · GRATITVDINIS · SIGNVM

D · D · D ·

AVCTOR



---

§. 1. Generatio nobilissimum certe est opus maximique momenti, quo nimirum Gubernatoris summi nutum explentes ad conservationem totius universi symbolam contribuimus. Multa sana sunt animantia, quae illico post fecundationem moriuntur, neque ea quae superioris ordinis sunt magno huic officio satisfacere queunt, nisi perfectionis propriae attigerint culmen, et, ut ita dicam, vivere desinunt, quamprimum propriae speciei propagandae amplius non sufficiunt. Nutritio proprium conservat corpus, generatio universum. Functio istiusmodi est simplex, quemadmodum vita ipsa simplex est.

§ 2. Quamvis tamen functio haec constanti naturae lege sit sancita, adeoque sit necessaria, ut sine ea animantium conservatio diutius constare haud possit, sunt nihilominus, praesertim in humana specie, quae ab illa universali naturae lege abludunt, atque mox feminae culpa, mox vero maris vitio sterilitas oritur. De hac sterilitate, solemni ac gravissima ista die, qua honorifica lauri corona mea cinguntur tempora, disserendum mihi proposui. Priusquam vero in proposito hoo meo exsequendo progrediar, vos, amplissimi ac cele-

berrimi Professores, sacrae hujusce Minervae sedis veneranda ornamenta, grata animi mei sensa accipere dignamini, persuasumque vobis babeatis, quod nunquam reverenda vestri memoria mente mea sit elapsura, neque unquam sim oblîturus tot benevolentiae speciminum, quae mihi peregrino tam multipliciter ostendistis. Aeterna in me erga vos vivet gratitudo aeternaque veneratio.

§ 3. Vitam nonnisi vitam gignere, jam veterum fuit effatum. Vitam novam in ente novo generamus, vitae igitur principia et factores illi impertiamur, oportet. In generationis autem processu actio locum habet, hinc et hic potentiae requiruntur dynamice oppositae, quas vero, cum processus iste sit mere animalis, incitabilitas in femina et incitandi facultas sive stimulus ex parte maris absolvunt. Si autem revera res ita se babeant, si revera incitabilitas muliebris et stimulus masculus omnia absolvant generationis momenta, necessario elucebit, et fecunditatis et sterilitatis dynamicae causam proximam in ipsis bis duobus momentis esse quaerendam.

§ 4. In sterilitatis naturam ac essentiam inquirentes generativi processus ideas aliquas fundamentales praemittendas esse omnino arbitramur. Quare celeberrimorum auctorum hypothesibus parumper adumbratis, tandem ad nostram accedemus opinionem.

§ 5. Dividunt autem praecipuas generationis theorias in duas potissimum series. *Occasionalismi* propugnatores statuunt, summum Creatorem oc-

casione cujusvis generationis e materie mixta, juxta ideam suam et per modum novae creationis, corpora condere organica.

Si vero consideraveris, naturam semper et ubique simplicitati studere, Numenque supremum naturae tales praescripsisse leges, talibusque illam providisse viribus, quae sibi ipsi satisfaciant, vix non chimaericam judicabis omnino hanc hypothesin, si non absurdam, nec facile tibi persuadebis in omni organici corporis generatione Deum ex machina advenire, quasi natura imbecillis atque inepta scopo suo respondere non valeret.

§ 6. Theoria alia, *Praestabilismus*, veritati magis amica quam chimaericis ideis, corporibus organicis eam inesse docet efficaciam, qua sibi similia procreare, suamque speciem conservare valeant. Discrepant autem inter se de modo, quo haec operatio ad finem perducatur. Verum recentiores fere omnes ad duo praecipue systemata reducunt naturae scrutatorum opiniones. Alii enim novitus generata corpora pro *eductis* organismorum, e quibus descendunt, habent (Evolutio, s. Praeformatio individualis Kantii), dum alii eadem ut *producta* organismorum individuorum considerant (Epigenesis, s. Praeformatio generica Kantii).

I. *Systema Evolutionis.*

§ 7. Qui huic addicuntur systemati, credunt germina procreandorum corporum ante ipsam generationem praeexistere, perque generationem

nonnisi evolvi, atque uti dicunt educi. In plures iterum systema hocce recedit hypotheses:

Antiquissimo quidem aevo ab Heraclio, et recentiori a clar. Bonneto imaginata chimaera de *Disseminatione :*

1) Sive Panspermia viguit; qua hypothesi, vix non ridicula, si vulgari sensu, sed uti mihi videtur si sublimiori et philosophico sumatur, non tam labili fundamento superstructa censenda, corporum organicorum omnium germina cum mundo ipso creata fuisse statuitur. Multa enim generationi aequivocae similia includere, ego quidem opinor.

2) Alii quidem, et minori veritatis verosimilitudine, quodvis germen organicum omnium individuorum sibi succedentium germina, quae serie continua evolvantur, in se continere, rati sunt. Contra hanc, praeter quod infinitam illam germinum divisibilitatem mens concipere non potest, confitemur nos nullatenus intelligere posse quomodo transitus specierum et varietatum in formas novas et deperditarum partium reproductio locum habere possit.

§ 8. Sed nova nunc oriebatur quaestio, ubinam, h. e. in quo organismo germen illud praeexistens evolvendum, residat?

Si Loewenhoeckium audiamus, ipsum germen in masculo praeformatum existere multa illum docuera experimenta; sed copia animalculorum spermaticorum, cui theoria ejusdem praecipue innititur, nihil probat, cum constet, quod in certis

quoque animalis corporis humoribus similis reperiantur; forma vero eorum varia in eodem animali et indoles infusoriis animalculis similis, opinionem hanc magis adhuc infirmant.

Sustinuerunt vero in ovulis feminae praeexistere germina: Swammerdam, Malpighi, Harvey, Valisneri et ipse summus Hallerus. Cum vero opinio haec tanti nominis viros auctores habeat, ex re erit aliqua eorum adducere argumenta, eaque quoad licebit, refellere.

Primum quidem et maximum invenisse sibi persuadent in eo quod observarint multas esse plantas, nec non animalia, quae absque maris congressu propagantur.

Secundum ex Harveyana observatione desumunt, qua innotuit pullum a cicatrice vitelli et quidem ovi non fecundati posse evolvi.

Tertium ipsis suppeditat experientia, qua innotescere credunt formam matris peculiarem, nec non morbos ejus frequentius transire in fetum quam patris.

Quibus tamen sequentia respondemus. Quod primum attinet argumentum, negari quidem non potest organismos inferioris ordinis hac ratione propagari; perfectiora tamen corpora duplicis sexus energiam requirunt. Nec adductae rariores fetuum gravidorum historiae, qualem nuper mutinensis physiologus Fattori docte exposuit, praeformationem embryonis in ovulo materno ostendunt, siquidem in masculo quoque reperti, ac partes organici corporis variae in diversis corporis partibus formatae et inventae fuerunt.

Harveyanae quidem observationi opponimus, quod ex multis fide dignis observationibus compertum habemus, coitum unum saepe per plures generationes sufficere posse.

Tertiam assertionem nos quidem gratuitam nuncupamus, cum quotidiana eidem repugnet experientia, etenim parentis utriusque formae in liberos saepe transeunt.

Si dein matris tantum vigeret potestas in evolutionem praeformati embryonis, masculorum ortus nullatenus intelligi posset. Plantarum insuper et bestiarum hybridarum exempla praestant, sexum utrumque symbolam suam conferre ad embryonis formam.

Recte igitur judicamus immort. Kant monuisse: hanc hypothesin difficiliorem esse conceptu quam theoriam, quae germina organica successive generari et fecundationis actu evolvi docet.

Neque observationes clar. Spallanzanii quidquam faciunt pro theoria hac constabilienda. Vidit is enim ranarum ovula simillima ante et post fecundationem, unde conclusit per masculi seminis actionem praesentem jam embryonem tantum evolvi. Ast, mutationes, quae in ovulis per biodynamicum seminis masculi effectum ponuntur, initio in sensus incidere nequaquam possunt. Nec majoris est roboris argumentum desumtum ab ea observatione, quod plantae dioicae femineae, a masculis separatae, et campanis vitreis inclusae, semina produxerint, quae postea egregie germinarunt, siquidem dudum innotuerit, dioicas plantas saepe hermaphroditas esse.

II. Systema Epigeneseos.

§ 9. Hoc systema sequentes nec ipsa quidem germina praeexistere credunt, verum materiem solam, quae per organismos jam existentes in corpus organicum formatur. Auctores sunt praecipue hujusce systematis, Empedocles, Hippocrates, Aristoteles, Zeno, De Cartes. Inter recentiores vero Buffonius, Needham, Wolf, Blumenbach.

Buffon asserit: moleculas nutritioni inservientes omnes partes et formam corporis continentes, cum ad nutritionem aetate provectiore non amplius tanta requiritur materia, in testes atque ovaria deferri et in verum semen utriusque sexus tandem transmutari.

Ast inveniuntur profecto in fetu partes quas parentes non habebant, et quomodo id quod non habebant, poterant dare?

Alii secretas naturae leges statuentes ad crystallisationem confugerunt.

§ 10. Needham docuit: vim vegetandi a vitali vix differre, adeoque veget. et anim. substantiam origine sua eandem esse, et unam in alteram abire. Potest, inquit, causa realis reproductionis reduci ad vim expansilem et resistentem, quae in materie habitant, quaeque producunt animalcula microscopica.

Le Camus dicit: similem esse veget. et animalium progenesin; elementa primigenia, seminibus adfinia, in maris celebro produci, perque nervos

ad testes ferri, quae deinde organica encephali elementa in uterum projecta, primum in caput cerebrum embryonis transformari credit, ex quibus reliquae partes explicantur.

Wolf vim essentialem qua principium constituit vegetationis et generationis quae efficit, ut liquida e quibus corpora omnia originem sumunt, formas organicas absque modulis praeexistentibus accipiant. Primordia plantarum sunt vesiculae humore repletae, primordia vero animalium (quae perinde ex materia inorganica formantur) globuli sunt.

Spiritus seminalis, animae vis fabricatrix et idea plastica veterum; anima structrix Stahlii, Archaeus, Helmontii vix mentionem merentur.

Germen organicum (nucleum) in mare existere sustinet Darwin; Reil vero docuit id in femina residere. Blumembacb tandem nisum plasticum statuit.

§ 11. Nos, quo hucdum pollet physiologia lumine, limitibus sat arctis circumscripto nondum differentias potentiarum nisi quoad plus et minus cognoscere posse, cum immortali Hartmanno libenter fatemur. Quare etiam in generationis processu unum alterumque momentum eatenus abnorme judicabimus, quatenus vel nimis exaltatum (idque vel absolute vel relative) vel vero plus quam par esset depressum, deprehenditur. Animadvertimus tamen nos rem in concreto sive, ut ajunt, objective contemplari atque adeo relationis semper memores sumus, quae inter utrumque producti novi procreandi factorem intercedit.

§ 12. Quod si summa sit et vel absolute vel relative praeter normam exaltata agendi facultas, quae cum dispositione ad conceptionem alacriori congreditur, stimulus validissimus sensilitatem obruendo necessariam reactionem impediet, qua absente incitatio locum habere nequit, cum incitatio nonnisi productum sit ex conflictu stimulorum cum incitabilitate exsurgens. Si vero ambo momenta sint depressa, h. e. si imbecillis sit stimulus virilis et parva mulieris incitabilitas, actio nimis debilis nullam iterum producet reactionem, nulla igitur orietur incitatio. Sic vir robustissimus athleta mulieris delicatulae atque admodum sensilis ipsam sensilitatem mox exhaurit, eoque ipso illius concipiendi capacitatem suffert. Idem autem vir stimulo suo fortiori viraginem asperam tam efficaciter excitabit, ut et ipsa muliebris suae mox recordabitur conditionis.

§ 13. Nimia vero si sit nervosi systematis mobilitas, tunc facultas stimulo rite respondendi sive reagendi tollitur; paralysabitur enim, saltem pro tempore, nervorum vita, prouti constat feminas nonnullas sub amoris commercio tanta abripi vi, ut plane syncope tactae concidant. Nymphomaniacae autem similesque fere semper sunt steriles, quippe quod impressio quaevis fugax nimis est, quam ut eidem respondens motus organicus et hinc incitatio necessaria producatur, qua ovulum rumpatur et ad uteri cavum feratur; vel vero quoniam forsan prius rumpitur, quam masculi seminis dynamicum persentiat influxum.

§ 14. Nos in amplexu venereo non materialem plane congressum, sed dynamicum contemplamur commercium, sive ut clarius loquar, ad incitationem respicimus, quae exsurgit qua effectus stimuli viribus cum incitabilitate feminili in conflictum mutuum positi. Haec autem incitatio seu, uti barbare dicunt, excitamentum, summe est vitalis, vitamque omnem ad eum potentiae gradum evehere valet, ut novam creet vitam, quemadmodum in inflammatione quavis vitae processus ad altiorem dignitatem elatus novas producit substantias. Prouti vero in omni oeconomia animali stimulus levis absque superstite fructu recedit dum validior effectum ponit, qui mox qua causa agens processui activo, quem phlogosin vocant (adhiciendo nimirum vitae efficientias ab aliis partibus), ansam praebet, donec processus ille non solum proprio se sustinere valet Marte, sed etiam qua stimulus novus agens in aliis quoque partibus sui similem producit effectum, sic in generationis quoque opere: stimulus debilis fugacem modo ciet incitationem neque producto novo gignendo parem, fortior vero processum creatorem activum et per se existentem generat.

§ 15. Prouti vero altera ex parte in phlogosi producenda summa habenda est ratio dispositionis individui adficiendi, cum e. g. neonatis levia quivis stimulus sufficit ad incitationem validam ciendam, dum adultis robustis et vehementissimae potentiae nonnumquam incassum minitantur; sic minus energicus mas sufficere potest

mulieri facultate illa recipiendi insigni praeditae.

§ 16. In animalibus inferioris ordinis, in quibus vita non adeo extollenda est, neque tanta incitatio requiritur, quam in humana specie, fere semper primus coitus est fecundus: » Chez les animaux, adserit Adèlon, presque toujours un premier accouplement est suivi de fécondation, probablement parce que les organes genitaux de l'un et de l'autre sexe, mais surtout ceux de la femelle, sont dans un état d' excitation convenable ».

§ 17. Juxta hunc cogitandi modum in embryonis formatione explicanda vix opus erit ad spermatis in ovarium usque lapsum, et inde iterum in uterum relapsum (quod alioquin in temporis tractu tam exiguo vix possibile credimus) confugere. Sufficere enim utique incitatio illa vitalis potest ad vesiculam ex ovario in uteri cavum transferendam, ubi a spermate fecundatur. Quod si ex quacumque demum causa, terrore, spasmo vel alia morbosa circumstantia, semen per tubas Fallopianas ad ostia opposita ipsumque ovarium feratur, incitatione cessata vesicula fecundata ad uterum usque ferri nequit, quoniam fimbriae jam sunt retractae et vitalis turgor desist, tunc conceptio extra-uterina oriri poterit. Hac ratione quoque explicatur casus ille a magno Hallero narratus, ubi in virginis cujusdam ovariis corpora lutea, in utero autem ejusdem manifesta vesicularum ex ovario delatarum vestigia inveniebantur; utpote in qua virgine incitamentum libidinosum

vesiculam ab ovario in uteri cavum jecit, in quo tamen ulterius evolvi non potuit ob deficientiam spermatis virilis, quod qua incitamentum continuum agens incitationem quoque perpetuam sustentaret.

§ 18. Quaestio gravis, jam ab antiquissimis inde temporibus ventilata, num feminis sit semen, ab Hippocrate, Pythagora, Democrito, Anaxagora, Parmenide nec non ab Empedocle et Epicuro, ipsoque Galeno defensa, a Zenone vero et Hippone strenue confutata, per se secundum nostram videndi rationam solvitur. Statuentes enim incitationem dynamicam proximam esse conceptionis causam, incitationem vero ipsam per commercium dynamicum amborum conjugum determinari, per se liquet et unum et alterum sexum symbolam conferre aequalem, quin vel dici possit vel interesse debeat, feminane possideat semen, masve praebeat germen, cum reapse neque sperma virile, neque mucus tempore cupidinis e vaginae uterique cavitate prorumpens sejunctim embryonem vel unquam procreare valeant.

§ 19. Ast si res ita se habet, quaerent ex me ii praecipue, qui ingeniosissimo Darwinii ratiocinandi modo seducti, spermati virili omnem in generatione tribuunt vim, vel vero ii, qui animalculorum spermaticorum lucta delectantur, cur carnale requiritur commercium? quod est officium spermatis, et quare non datur Lucina absque concubitu? Quam vero difficultatem ut eo certius disperdamus, paulo latius h. l. digrediamur, opor-

tet, atque ad illa confugiamus, quae caleb. Fanzago de contagionum natura et essentia tam acute docuit. Harum enim propagationem in processu irritativo radicari cl. ille vir perspicaciter ratus est. Summam vero similitudinem intercedere inter contagiorum evolutionem atque embryonis formationem ipse quidem cel. Fanzago fatetur. Contagiorum autem propagationem per processum generationis explicare velle, utique idem esset ac ignotum per ignotius illustrare, tamdiu quam hic ipse physiologum adhuc latet; postquam vero de illa expeditam Fanzago nobis tradiderit notionem, an errabo, si luce illa utar ad ignotum hucusque generationis negotium illuminandum? Nihil profecto repugnare nobis videtur, quo minus suspicemur, quod sperma virile cum ovulo feminae in contactum positum in isthoc qua causa irritans, processum illum semper sustentare conatur, qui per incitationem fructiferam productus fuit. Summus autem irritationis ideam paulo latius et quidem ad mentem cel. Tommasini juxta quam sub irritationis nomina processus quivis intelligendus est, qui a causa semper praesente in artivitate conservatur, ut sic a vera et genuina phlogosi distinguatur, quae per se etiam ablata causa producente ulterius progredi valet. Etsi igitur ad conceptionem incitatio dynamica sufficiat, tamen ad evolutionem producti ejusdem irritationis ille processus conditio est, sine qua non.

§ 20. Ex his perspicitur quid de animalculis sper-

maticis, recentioribus praecipue temporibus a multis physiologis visis, sit sentiendum. Haec enim si revera existunt, utique apta judicari possunt ad processum activum, qui in evolutione embryonis requiritur, irritatione sua continua alendum, quemadmodum in contagionibus observare est.

Si autem magis tibi arrideat, animalcula illa spermatica, qua incitationem augentia, considerara, per me quidem licet; siquidem cl. Sauvages adseruit in generationis negotio explicando animalia spermatica Veneris tantum incitamenta dici debere, ad ipsam vero generationem prorsus inutilia.

§ 21. Postquam nostram hac ratione de processu vitali et deinde de generatione ideam exposuerimus, momentaque, a quibus ista pendet, determinaverimus, superest, ut conditiones nunc adnuamus, quae fecunditatem turbare possunt, ut eo facilius tandem eruere valeamus, quomodo sterilitati sit occurrendum.

§ 22. Omnes fere qui hucusque de sterilitatis causis tractarunt auctores, divisionem statuunt in eas quae a femina, et eas quae a mare desumuntur, quin rite organicas a dynamicis distinguant. Nos quidem Riverii Montpelliensis maleficio diabolico credere renuentes; ad forum chirurgicum ea relegantes vitia hereditaria vel adquisita, quae connubio normali obstacula ponunt mechanica, e. g. vaginae atresia; ad pathologiam generalem eam impotentiam, quae a morbo universali qua sym-

ptoma vel saltem qua effectus derivat, e. g. erectionis ob cachexiam incapacitas; ad incurabilia tandem mala et omni humano conamine superiora, quae a conformatione organica pendent, e. g. uteri, ovariorum etc. defectus; eas solummodo hic loci considerabimus causas, quae organis omnibus prolificis praesentibus coitusque negotio quoad materialem actum rite perfecto, tamen conceptionem idque dynamice impediunt. Sic v. c. videre est dum et quando conjuges illico post primum coitum sobolem procreare, deinde vero per multos saepa annos per totamque vitam spe frustrata aliam exspectare prolem, dum interea uxor infelix, innocens licet causa, valetudine semper adversa et praecipue uterini systematis morbis, inflammationibus chronicis ovariorum, hydrope, scirrho etc. infecunditatem suam misere luit. Alias videmus post longius sterilis matrimonii tempus mulierem fieri fecundam, quin ad adulterium turpe confugiat. Haec vero ut solvere possimus problemata, oportet, ut ea, qua incboavimus methodo, singula momenta processus generativi prius examinemus; postea vero, cum potentiae nuspiam productum edere valent, nisi in reciprocum commercium veniant, hujusmodi commercii ratio, sive conditio ea, aub qua momenta causalia ad actionem producendam congrediuntur, anta omnia contemplanda nobis videtur.

§ 23. Quoad marem attinet, hujus absoluta sterilitas dynamica ut plurimum, ne dicam semper, cum organica aptitudine coitum rite exercendi

pari incedit passu; vir enim cum uxore rite congrediendi capax, fere semper fertilis habendus. Hinc in genere rariora sterilitatis virilis exempla, quemadmodum doctissimus Manningham adserit: „ Oritur sterilitas plerumque feminarum vitio; triginta enim mulieres steriles, in singulos viros impotentes, si divisio fieret, invenirì possent „. Quae enim de semine aquoso aliquorum, de nigro hypochondriacorum, de graviter redolente epilepticorum dicuntur, nobis quidem non satis expedita videntur, i. e. etiamsi concedere debeamus, morbos quosdam spermatis qualitatem adeo mutare posse, ut fetus quoque illorum morborum quodammodo particeps fiat, tamen dubitare adhuc audemus, num alienatio illa spermatis talis sit, vel esse queat, quae viro facultatem gignendi penitus tollat, ubi tanta adhuc remansit incitabilitatis vitalis ratio, ut mulierem valde adpetat. Noscimus hypochondriacorum complures, qui numerosam procreant sobolem, et epileptici morbum certe non redderent hereditarium, ubi steriles semper manerent. Praeterea etiamsi hypochondriaci, epileptici, aliisque morbis adfecti prolifici non essent, in istis sterilitas nonnisi effectus censeri deberet morbi protopathici, quo morbo victo desineret et illa; nobis autem de primaria, vel, uti dicunt, essentiali infecunditate disserendum est.

§ 24. Quam Aristoteles qua causam judicat habendam esse sterilitatis virilis, spermatis qualitatem, ob quam aquae impositum fundum petere respuit, omni ex parte concedere nequimus, cum

experimenta exstent, quibus edocemur sperma aqua dilutissimum ad conceptionem sufficere. Nihilominus tamen inficias ire haud possumus spermatis indolem tali ratione alienari posse, ut debitam illam partium constituentium quantitatem et qualitatem non possideat, quae necessaria est ad processum generationis activum debite suscitandum vel saltem sustentandum. Sic juxta opinionem Roberti W. Johnson, si spermatozoa deficiant, vel vero ea virtute vitali careant, qua stimulum opportunum exerceant.

§ 25. Gravioris omnino momenti, obscurioris quamvis originis, illa est sterilitas, quae ex femina provenit, eoque gravius videtur esse argumentum hocce, quo minus hucusque ab auctoribus tractabatur, quoque certius constat feminas infecundas multis obnoxias esse morbosis adfectionibus, vitamque ipsam non raro periclitari uxoris dilectae. Mulier enim forte principalem, eamque sublimem omnino destinationem habet, nimirum speciem propagandi; huic ubi alia non obstant, ut rite perficiatur, nisi satisfiat sacrae destinationi, horrendo quidem modo natura vindicare scit jura sua. Jam magnus Hallerus cognoverat Veneris abstinentiam naturae esse inimicam. Oriuntur, inquit, in illis quae non pariunt chlorosis, hysteriomania, mania, convulsiones, nteri scirrhi, steotomata, hydrops ovariorum et similia, ita ut Nardius nutrices juberet coire potius, quam languere desiderio.

§ 26. Cum autem organicas non minus quam

mechanicas omnia sterilitatis causas ad chirurgiae forum relegaremus in quaerenda dynamica illa ratione, quae conceptioni obesse potest, nunc paulo diutius inhaerebimus.

Fecunditatem in femina a dispositione pro stimulo virili pendere supra monuimus, quam dispositionem vitam genitricem nuncupare placet. Jam vero si dispositio adaucta fecunditatem simul adauget, illa imminuta haec quoque imminuetur, ergo fertilitas muliebris pari passu cum vita ipsa genitrice incedere clarum est. Dispositio tamen haec non est absoluta cum omnis femina incitabilis esse debeat si vivam eam appellare velis, sed determinatur ab oppositione inter ambo momenta causalia generationis, nempe marem inter atque feminam. Cum autem dispositio illa nihil aliud sit quam facultas impressiones externas accipiendi easque per totum organismum propagandi, facultas autem haec transmittendi impressiones, ipso Gallini teste, sensilitas vocetur, sequitur vitam genitricem omnem ex parte mulieris cum sensilitate nervosa esse identicam, vel saltem in ista radicatam. Adfatim hoc modo explicabis medicinae veteris principis adsertum, quod absurdum, ne dicam ridiculum quam plurimis visum est. Docet enim Hippocrates in aureis suis aphorismis (sect. V. a. 59.) » Mulier, si in ventre non concipiat, velis autem scire, an conceptura sit, vestibus circumtectam subter suffito, et si quidem procedere tibi videatur odor per corpus ad nares et os, scito hanc non propter se ipsam infecun-

dam esse ». Singularis, mehercule, haec esset ratio dijudicandi sterilitatem feminae absolutam, ni Hippocrates hoc experimento indicare voluisset, quod apud tantam nervorum transmittendi impressiones energiam atque solertiam impossibilis ferme sit sterilitas absoluta, quippe quod ab isthac sensilitate ipsa concipiendi capacitas omnimode pendeat. Sic alio quoque loco, ait Hippocrates: » Quae frigidos et densos habent uteros non concipiunt (sect. id. a. 62.) ». Scimus enim organis deesse sensilitatem, quibus calor est imminutus vel vero deorsum adaucta.

§ 27. Meretrix vix parit, quoniam sensilitas ista necessaria ex abusu, ut ita dicam, obtundebatur, quemadmodum constat, stimulum quamvis fortiorem diutius protractum incitabilitatem pro eo saltem stimulo tollere, paresin paralysinque tandem inducere. Sensilitas tamen ista iterum restitui potest prouti reapse exempla dantur, ubi post longius abstinentiae intervallum meretrix fecunda fiebat.

§ 28. Feminae graciles delicatulaeque, quamvis debiliores, ob incitabilitatem tamen majorem conceptioni quam maxime sunt obnoxiae eaeque numerosissimas dum et quando pariunt proles, robustissimis quibusque pinguibus et optima nutritis filiis carentibus.

Habitatrices gelidae septentrionis plagae vix unam aliamve concipiunt prolem, dum meridiei incolae liberis abundant. Constat pariter in sensilioribus puellis pubertatem multo citius adparere,

quam in illis, quae minus tenera sensilique praeditae sunt corporis constitutione, et difficile non erit observare in calidiori hocce climate puellas vix XII annos natas puberes jam esse. Capacitas autem concipiendi a pubertatis epocha inchoat atque protenditur ad id usque tempus quo menstrua fluere cessant. Cessatio vero prolificationis cum simultanea cessatione catameniorum indicat, indigere feminam certa vita genitrice in uteri systemate concentrata, quae se se manifestat praecipue fluxu illo regulari ad organa genitalia, quo fluxu vitam horum organorum ad altiorem dignitatis dynamicae gradum elatam esse, judicamus. Animadvertimus hic loci nos minime catamenia causam habere pubertatis, sed potius effectum vitae totius organismi ad organa prolifica concentratae.

§ 29. Feminae, in quibus praecocia comparent catamenia, sive in quibus functiones partium genitalium citius evolutae esse manifestantur, citius quoque annis climactericis corripiuntur, nimirum quod eo citius consumi debebat potentia illa genitrix, quo magis praecox et activa evasit, prouti vita animalis, quod in mero oxygenio intensius functiones exercuit vitales, prius et celerius quoque exhauritur. En rationem, cur consumpta et exhausta ista vita mulieres plerumque pinguescant, non quia forsan activitas uteri, ut vulgo opinantur, in reliquum organismum redundet, sed potius quia omni energia vitali aetatis onere oppressa, totus organismus labefactatur ineptusque

redditur operationibus plasticis exsequendis. Nemo enim (si opinionem cl. P. Frank excipias a quamplurimis clarissimis medicis confutatam) nemo inquam, inficias ibit, pinguedinis molem vires vitales imminutas potius quam adauctas enuntiare. Ista quoque est ratio, cur hoc tempore inchoent scirrhositates indurationesque lethales uteri atque mammarum, utpote ob infractam in organis genitalibus hisque affinibus partibus energiam vitalem.

§ 30. Nec spernendus mihi videtur mentis animique in conceptionis negotium influxus, quatenus hic vitam genitricem extollere vel vero deprimere valet. Quemadmodum enim in viro, teste cl. Mondat, nimia facultatum intellectualium evolutio genitalium evolutionem perfectionemque impedit, sic in foemina quoque nimia mentis intentio sterilitatis saepe causa, quippe quod vitae illa quantitas, quae in uteri systemate concentrari debuisset, aliis occupatur negotiis; hinc doctae fere semper esse infecundas dicunt. Quod animum vero attinet, scimus pathema quodvis anaphrodisiam plane producere posse. Si enim passio sit deprimens, tunc omni vita animali hinc et sensifera ad imum prostrata, incitatio conveniens locum habere non poterit, si vero excitans, iterum in alio puncto quam in genitalibus concentrabitur vita.

§ 31. Observarunt practici abusum liquorum spirituosorum, fabarum arabicarum, nec non solanorum aliquorum fecunditatem tollere, cujus rei facile rationem reddimus juxta ea, quae propo-

animus, scilicet, quod vita sensifera a stimulis non minus quam a narcoticis majori, quam par est, quantitate adhibitis, tandem penitus exhauritur.

§ 32. Amenorrhoeam frequentem esse sterilitatis causam, expertus Mondat observavit. Neque hujus phaenomeni explicatio te latebit, ubi memineris nos supra jam monuisse, menstruum fluxum qua effectum esse considerandum activitatis organorum genitalium ad altiorem gradum evectae, prouti sagaciter ipse Mondat subjungit: » La femme n'est pas stérile par cela qu'elle n'est » pas réglée, mais parce que la matrice manque » alors du degré d'action necessaire à la fécon- » dation ». Constat igitur et sterilitatis ab amenorrhoea natae causam proximam in vitae genitricis s. dispositionis imminutione esse quaerendam.

§ 33. Quod hystericae, nymphomaniacae, eroticae et temperamenti sic dicti (ab Hallero) uterini etc. ut plurimum sint infecundae, cl. Mondat eo explicat, quod per spasmodicam irritationem partium genitalium morbosas alienationes in ipsis organis conceptioni inservientibus nasci edserat, cujus opinionis esse videntur et Diemerbroek et ipse Morgagni, quod tamen phaenomenon nos superius (§ 13) satis explicuimus, quin ad alienationes organicas confugeremus.

§ 34. Feminae, quae aetate jam provectiori viro nubant, fere semper sunt steriles, licet longe adhuc ab illa epocha remotae, qua aliae concipere desinunt, id quod in imminuta, longiori exer-

ciuũ venerei defectu, incitabilitate radicatur. Scimus namque deficientiam incitamentorum incitabilitatem ipsam tandem auferre. Omnis enim functio animalis, irritabilis et seosifera stimulis eget sibi idoneis, ut debito vigore conservetur. Sic memoria, imaginandi vis, judicandi ratiocinandique facultas imminuitur et tandem penitus extinguitor, si occasio subtrahatur propriam exercendi potentiam.

§ 35. Anaphrodisia non quidem causa proxima est sterilitatis, sed in eandem quam maxime influit. Intrat enim gaudium venereum qua praecipuum elementum in generationis processum, quatenus nimirum incitationis gradum talem provocare valet, qui vitam ad summum evehat culmen. Jam vero voluptate illa absente materialis quidem exercebitur actus dynamica virtute carens, quam conditionem principalem statuimus omnis conceptionis.

§ 36. Splendidum hujus rei exemplum ipse expertissimus Mondat in matrona quadam parisiensi exhibet, quae postquam primi amoris dulci deluderetur spe, conjugis cui parentum jussu nupta erat nonnisi materialiter cedebat desideriis, quin aliam nisi passivam in thalamo teneret partem; multos per annos infecunda mansit. Accidit, ut casu fortuito prisci affectus conspiceret objectum, unde domum reversa, tota nocte vividam amantis imaginem ante oculos habebat, atque amoris cupidine prima vice excitata commercium conjugale ipsa cum voluptate quaesivit, exindeque mox jucundum concepit fructum.

422

§ 37. In hoc ψυχῆς influxu rationem quaeras, quare primus plerumque illegitimi sed vehementis amoris amplexus ad conceptionem sufficiat, innocensque virgo audacis abrepta seductoris illecebris gaudium breve illicito matris, ei ignominia pleno, nomine misere luat.

§ 38. Causa sterilitatis a muliere provenientis proxima hoc modo exposita, quomodo eidem medicari queamus, nunc paucis erit expediendum. Philosophos si audias naturae, edoceberis: processum magneticum cum vita producente nexu interiori jungi; electricum cum irritabili; chemicum cum sensifera. Quae si vera essent, magnetismus animalis absque dubio inter remedia contra sterilitatem efficacissima primum obtinebit locum. Cum juxta illorum principia carbonium nisum majorem in conflictum magneticum habeat, oxygenium et hydrogenium in electricum, azotum in chemicum, patet medicamina carbonio potentia fecunditatem adaugere, hinc ex classe illorum sumenda, quae hoc principio abundant.

§ 39. Nos sterilitatis feminilis causam proximam in sensilitate vel absolute vel relate ad marem plus quam para est exaltata vel vero nimis depressa positam esse arbitrantes, ea commendabimus contra sterilitatem istam remedia, quae vel sensibilitatem moderent effrenam vel vero incitabilitatem imbecillem efferant. Primae indicationi ea satisfaciunt omnia, quae vitam sensiferam omnem compescunt, ut hyoacyamus niger, laurus cerasus, nec non tristitia, maeror; hinc non rara sunt exempla

ubi animi adfectus iogratus feminam reddidit fecundam.

§ 40. Quod vero ad secundam attinet indicationem, huic duplici quidem ratione satisfacere possumus, vel enim illud pro commercio fructifero seligendo tempus quo natura ipsa benigna providaque omnium mater mulierem magis reddidit incitabilem, vel remedia porrigendo quae incitabilitatem ad altiorem eveherent gradum. Respectu prioris multa omnino considératu digna erudimus; sic e. g. cl. Gallini adnuimus quoad aestatis et veris tempus, experto Froriep, quoad horas matutinas pro connubio eligendas. Maximam tamen attentionem menstruationis periodus nobis mereri videtur; cum enim hac periodo omnis vita uterina ad summum sit elata, ea conceptioni quam maxime favebit. Sic experientia edocemur ipseque celeb. Siebold testatur, quod tempore menstruationis femina sensilior evadit, atque irritabilior altiori gradu sentit, cupitque marem validius. Activitas vasorum omnium vitaeque omnis praesertim in systemate uterino est exaltata, hinc subjungit ipse Siebold » facilius concipit mulier ».

§ 41. Neque experientia saeculorum praeteritorum nostrae deest sententiae. Dicitur enim Fernelius sterilitatem sustulissé reginae Catharinae de Medicis eo quod consuluerit Henrico II ut tempore menstruationis cum uxore congrederetur.

§ 42. Sincerum amorem verneque reciprocae benevolentiae adfectum multum quoque valere ad infecunditatem tollendam ex illis quae supra (§ 35,

36) protulimus, aperte colligitur. Quae vero aliae adhuc sint sensilitatem muliebrem exaltantes substantiae medicatrices satis docet iamatologia; merentur tamen quaedam specialem hic mentionem, quatenus electivam in uterinum systema exserere videntur actionem, uti sunt mars ejusque praeparata, cinnamomum, crocus sativus, sabinae frondes et alia sub nomine aphrodisiacorum venientia, inter quae electricitas forsan non ultimum sibi vindicat locum.

§ 43. Haec quoad feminam directe adhibenda. Ex alia autem parte incitamentum est augendum quippe vir longiori abstinentia praegressa, et si opus sit pharmacis roboratus validiorem exercere valebit stimulum, symbolamque hoc pacto contribuet quam maximam ad dispositionem uxoris relativam augendam. Errant igitur et quidem graviter errant incauti juvenes qui opinantur se eo certius prolificos evasuros quo saepius thalamo indulserint, cum plane oppositum accidat; ex immodica enim Venere vires maris vigore deperdunt, minorque evadit stimuli energia, et eo ipso imminuitur mulieris concipiendi facultas.

§ 44. Multa adhuc dicenda essent circa matris imaginationis in embryonem vim, quae tamen brevitatis causa omittere decrevi. Ex illis vero quae hucusque disseruimus concludere licet, quod neque in gravissimo hocce argumento, in sterilitate nimirum tollenda, spernendum sit medicum auxilium, et tam magnum vastumque medici rationalis mihi videtur in naturam quam mysteriosissimas

operationes imperium, ut ad obscurissimas quasvis et quam maxime reconditas illius functionis jura sua legesque suas extendere valeat.

THESES DEFENDENDAE

I.

Idem morbus opposita methodo curari quidem, sed nunquam sanari potest.

II.

Medicus saepe, medicina nunquam nocet.

III.

De animae immortalitate nemo magis quam physiologus convincitur.

IV.

Verus physiologus nunquam materialista.

V.

Organisatio vitae quidem est conditio, sed minime ejusdem essentia.

VI.

In natura mors nec cogitari quidem potest.

VII.

Pulsus qua dyagnosticon non tantae est dignitatis ut vulgo creditur.

VIII.

Symptoma quodvis a morbis etiam ex diametro oppositis produci potest; hinc

IX.

In morbis dignoscendis ad symptomatum complexum quam maxime attendere oportet.

X.

Nonnumquam tamen pluralitas symptomatum magnopere fallit.

XI.

Hepar non solum bilis secretioni praeest.

XII.

Parum interest scire num revera existant spermatozoa.

XIII.

In gravidis venae sectio nonnunquam abortum avertit quidem, nonnunquam tamen eundem provocat.